

Kem  
530

Kem 530





ANALYSEOS CALCULORVM  
ET HUMANORVM ET ANIMALIVM  
CHEMICAE  
SPECIMEN I.

---

DISSERTATIO  
QVAM  
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
AVCTORITATE  
A. D. XXVI SEPTEMBR. MDCCCLXXXVIII.

H. L. Q. C.

DEFENDENT  
S A T O M O C O N S T A N T I N V S  
T E X I V S  
VITEBERGENSIS,  
PHILOSOPHIAE DOCTOR, MEDICINAE  
BACCALAVREVS  
E T  
F R I D E R I C V S L V D O V I C V S  
K R E Y S K G  
ILEBURGENSIS,  
PHILOSOPH. ET MEDIC. STUDIOS.

---

L I P S I A E  
EX OFFICINA KINDELIA.



卷之三

5

卷之三



## ANALYSEOS CALCULORVM ET HUMANORVM ET ANIMALIVM CHEMICAE

### S P E C I M E N I.

**C**oncretionum lapidearum, quae in corpore animali passim generantur, analysis chemica hoc in primis commodum arti medicae praestare debet, vt remedia inueniantur, quibus morbi, ab his concretionibus orti, teterimi sane et cruciatu horrendo pleni, profigari possint. At multa sunt, quibus parum abest, quin spe hoc commodo potiundi excidamus. Nam inter medicamenta, quae calculos extra corpus vivum egregie dissoluere et colliquefacere videntur, haud pauca eam habent indolem, vt a vivo animali sumta, priusquam in calculatorum sedes penetrauerint, sanitatem ipsis calculis peius afficiant, atque pessimenter. Sunt ex hoc genere acida mineralia fortiora et alcalia caustica, in quibus tamen plerique maximam in soluendis calculis efficaciam agnouerunt. Adde, quod medicamentorum in ipso corpore viuo effectus longe ab iis discrepant, quos per experimenta extra corpus animale instituta indagamus. Inest enim corpori viuo vis quaedam, quam, cum omnem vitam animalem, sensumque et motum animalium moderetur, vitalem haud immerito nuncupamus. Hac autem pleraque, quae in corpus ingeneruntur, sic mutantur, vt amissa pristina natura in alias aliasque formas conuertantur. Accedit variorum humorum in ipsa digestio- nis organa affluxus, quorum indolem cum nondum satis perspicue intelligamus, hoc etiam, quomodo ingest mutent, pene ignoramus.



Ipse similiter sanguis, qui pro temperamentorum, aetatis, valetudinis diversitate multum differt, in medicamentorum efficacia vario modo finienda plurimum valet. Denique, ut in calculorum exemplo constam, facile intelligitur, eos, si vel maxime a medicamentis, quae lithontriptica vulgo appellantur, arteri comminuque possint, perenni humorum, e quibus coalescunt, affluxu identidem resarciri et incrementa capere, ut, quantum medicamina soluant, tantum novo fabulorum accessu compensetur. Quamuis igitur examen calculorum chemicum perparum horum medelam illustret, hoc tamen utilitatis habet, ut ad peritiorem corporis animalis, praecipue humani, cum sani, tum aegroti cognitionem aliquid conferat. Cum enim per naturae vires in plerisque corporis humani partibus; in quibus humores tardius fluunt, vel aliquamdiu commorantur, eiusmodi concretiones calculosae fermentur: hoc in primis curandum est, ut variam calculorum naturam, diuersaque, quibus differunt, momenta accurate discernamus. Quo consilio ad illorum humorum, qui in calculorum sedibus morantur, naturam, ad partes ipsos constituentes, ad ortum eorundem attendendum est; tum dispiciendum, quomodo et ex qua materia huiusmodi concrementa calculosa nata fuerint, et qualem ad alia corpora habeant rationem. Neque a primis inde temporibus, quibus studium chemicum suos nactum fuit cultores, desuerunt viri, qui, quantum pro temporum ratione et scientiae amplitudine liceret, partes calculos constituentes cruere stiderent. HELMONTIVS in libro de Lithiasi aliquam, ut infra fusi expositurum sumus, tentaminum suorum cum calculis institutorum mentionem iniecit. Postea, cum chemia novis inventis sensim locupletaretur, calculorum etiam natura paullo magis collustrari coepit. Spe enim excitati, fore, ut chemiae limites suis laboribus amplificarent, praeter alia in calculos quoque inciderunt, eosque variis subiecerunt tentaminibus, in quibus spem, quam aluerunt, ipsos non fellisse, multa in hoc genere egregia nostrae aetatis inventa abunde docent. Duplicem vero viam in natura et materia horum corpo-

rum.

rum eruendis chemici aequae ac medici ingressi sunt, quippe alii ignis  
 ope per distillationem siccain partium constitutivarum tum naturam,  
 tum quantitatēm diligentius finierunt, alii in variam ad alia corpo-  
 ra, in primis ea, quae menstrua vulgo vocantur, relationem inqui-  
 rentes, naturam partesque ipsorum proprias, quas essentiales vocant,  
 cognoscere sedulo studuerunt. Instituta vero primum per ignem ana-  
 lyſi, partibusque constituentibus hac via diligenter explanatis, pracepta  
 chemica plurimum subsidii in corporum ad menstrua et reagentia  
 habitu perspiciendo subministrant. Tantum vero abest, vt ideo  
 studia illorum, qui analysi per distillationem sicciam neglecta,  
 solam ad alia corpora relationem curarunt, vana atque superflua pro-  
 nuntiemus, vt ipsam partium necessiarum naturam per haec ten-  
 tamina egregie explicari et accuratius finiri, iure nobis contendere  
 videamur. Qua ipsa de cauſa nos quoque, cum iusta calculorum  
 quantitate in praefens haud fuerimus instructi, <sup>a)</sup> primam illam viam,  
 quae sola ignis ope calculos in partes constituentes resoluti, praeter  
 alteram, quae has ipsas partes necessarias per aliorum corporum ac-  
 cessum mutuo soluit nexu, et in alias formasque copulasque cogit,  
 eligendam nobis duximus. Prius vero, quam ad ipsa nostra tenta-  
 mina enarranda nos accingimus, studia aliorum, quae huic capiti im-  
 penderunt, diligenter proponenda, et quae inde in naturam calculo-  
 rum explicandam fluunt, eruenda sunt. Exactam quidem omni-  
 busque numeris absolutam eorum, quae in hoc capite iam praefita  
 fuerunt, enarrationem, neminem facile expectaturum esse, ideo nobis

A 3

per-

a) Fautorum nomina, qui benevolē meis consuluerunt rationibus, hic  
 recensere, multa suadent. Alii quidem utriusque generis calculos  
 suppeditarunt, alii de nonnullis, quae ad historiam calculorum, qui  
 mihi contigerant, pertinenter, me reddiderunt certiorem: utrisque  
 summas iam perso lo gratias, Viris scilicet Experientissimis, Illustr.  
 LODERO Prof. Ienensi Celeb., NÜRNBERGERO, HEBENSTREITIO,  
 ESCHENBACHIO, Prof. Vitebergensis, et Lipsiensib. Celeb. praec-  
 ceptoribus fidelissimis, MAGNO, KLVNGIO, DÜRRIO, FLEMMINGIO,  
 FRENZELIO, Medicinae Practicis et Physicis ciuitatum Torgavienis,  
 Belitienis, Neostadiensis ad Orlam, Iütreboensis, Pretzschensis.



persuasum habemus, cum omnia, quae huc pertinent, in libris paucim  
dispersa, in unum colligere, paullo difficultius fuerit. Studuimus ta-  
men, ut, quaecunque nobis de hoc arguento innotescerent, in or-  
dinem redigeremus, diuersasque sententias inter se compararemus.  
In quo ipso ita fuimus versati, vt labores destillationi siccae ad cal-  
culos in principia soluendos, aëremque ex ipsis euoluendum, impen-  
sos ordine chronologico proponeremus, quippe quo optime intelli-  
gi possit, quomodo successu temporis ad intimorem harum concre-  
tionum cognitionem chemici penetrauerint. In variorum vero men-  
struorum, aliorumque corporum in calculos nostros effectibus enar-  
randis ne saepiori repetitione taedium creemus, obseruationes de  
singulorum corporum efficacia paucim obvias secundum istorum co-  
porum ordinem digessimus.

### ANALYSIS CALCVLORVM BILIARIORVM.

Tentamina HALESI, b) quamuis aëris expellendi caussa cum  
huius generis calculis fuerint instituta, aliquid tamen ad naturam  
corundem cognoscendam conferunt. Ex calculis enim biliaris,  
qui pondus granorum 52, atque sextam pollicis cubici partem ex-  
plerunt, per destillationem aëris elastici pollices cubicos 108, qui  
ipsam calculatorum magnitudinem 648 vicies superarunt, laudatus  
Auctor extricauit, cuius aëris elastici sexta pars formam subiit fixam.  
Similiter vero sub ipsam horum calculatorum destillationem sat magna  
olei copia, forma vesicarum, illis, quae destillatione cornu cerui  
conspiciuntur, similium, prodiit.

Diligen-

b) *Statistical Essays, Containing Vegetable Staticks, or, an Account of some Statistical Experiments on the Sap in Vegetables etc. by STEPHAN HALES. Vol. I. Lond. 1731. 8. pag. 195. 96. — Versio german. Statik der Gewächse von STEPHAN HALES. Halle 1748. 4. p. 113.*

Diligentius TEICHMEYERVS, vel potius STROEHLINVS Auctor libelli illius academicici, <sup>c)</sup> omnia, quae sub destillationem calculorum huius generis euenire solent, assignarunt. Calculi primum liquefunt, prodit tum exigua aquae pars, quam varia olea, flauum limpidum, fuscum, rubicundum, tandemque nigrum empyreumaticum excipiunt, in retorta terra leuis, nigro-fusca, striata, in antimonii morem splendens remanet. Oleis, quae destillarant, propter odorem oleo tartari foetido admodum similem, quem sparserunt, sal volatile fuisse admixtum, idem suspicatur, in eiusdem vero genesi explicanda, num productum an eductum fuerit, dubius haeret.

Ex recentissimis in primis GRENIUS, <sup>d)</sup> cum occasio quosdam calculos felleos examinandi ipsi fuisse oblata, omnem ipsorum naturam, partesque constituentes accuratissime definiuit. Ope enim apparatus pneumatico-chemici aërem et fixum et inflammabilem extricauit; destillatione vero sicca, gradu ignis pedetentim aucto, ex triginta calculi granis prodeentes conspexit vapores, vasisque refrigeratis in excipulo liquorem flauicantem inuenit, cuius superficie oleum empyreumaticum, tenax, rufum, foetidum innatabat. Qui quidem liquor odore pungente, sapore amariuscule insignis, naturae fuit ammoniacalis. Carbo residuus nitens, leuis, tria effecit grana, difficulter conflagravit terramque reliquit, e qua in acido nitroso soluta per acidum sacchari selenites saccharatus praecipitatus fuit,

vt

O HERM. FRID. TEICHMEYERI et Auct. WILH. HENR. AVG. STROEHLIN Diff. de calculis biliaris. Ien. 1742. 4. §. 6. 7. Recusa in HALLERI Collectione Dissertationum practici argumenti. Vol. III. no. 108. pag. 641. seq. In compendium redacta in CRELLS Auszuge der Hallerschen Sammlung academischer Streitschriften, die Geschichte und Heilung der Krankheiten betreffend. Tom. III. Helmst. 1780. pag. 583. seq.

<sup>d)</sup> Tentamina Viri Experientiil. inserta sunt libello: GOTTL. SIEGFR. DIETRICH Diff. continens duos obseruat. rariores circa calculos in corpore humano inuentos. Hal. 1788. 8. c. fig. pag. 62-69. — Quorum experimentorum euentus GRENIUS inferuit quoque seinem systematischen Handbuche der gefammten Chemie. Tom. II, P. I, Hal. 1789. §. 1531-1537. pag. 256. seq.

vt ideo ipsam terram animalem seu calcem phosphoratam habeat.

ACRELIVS<sup>e)</sup> denique calculis quibusdam destillationi siccae subiectis <sup>80</sup> olei foetidi, empyreumatici collegit; perquam exigua carbonis nitidissimi particula, quae in retorta remanerat, vltiori igne tractata in cinerem abiit albescensem, nullumque terrae calcarae liberae indicium obtulit.

Maximam quidem partem ex his, quae de laboribus chemicorum in concretionibus biliaris hac via decomponendis diximus, eorundem ad diuersa menstrua relatio secundum chemicorum praecepta facile elici potest. Sed quo melius horum corporum naturam, partiumque coniunctionem eruamus, neque eximia interdum phaenomena, quae sub aliorum corporum cum ipsis combinationemesse offerunt, negligamus, neque in studia sommorum virorum, qui multum iisdem temporis impenderunt, iniurii simus, haec quoque, quamuis breuiter, pertractemus. Praeter viros vero, quorum studia in concretionibus hisce destillatione sicca examinandis modo exposui-  
mus, excitandi adhuc sunt BEZOLDVS,<sup>f)</sup> HOFFMANNVS,<sup>g)</sup> HAS-  
LERVS,<sup>h)</sup> COE,<sup>i)</sup> MACLVRVS,<sup>k)</sup> CONRADVS,<sup>l)</sup> DELIYS,<sup>m)</sup>

MACQVE<sup>n)</sup>

e) De cholelithis per abscessum ruptum egredientibus, casus et experimen-  
ta, quae praefide Ioh. AVG. ACREL publico subiicit examini  
ANDR. MAGN. WADSBERG. Upsal. 1788. 4. c. fig. pag. 15. seq.

f) GEORG. BEZOLD Diff. de Cholelitho Argent. 1725. 4. §. 6. In-  
ferta HALLERI Collect. Disputat. argum. praet. Tom. III. no. 106.  
pag. 607. seq. Et in CRELLS Auszuge Tom. III. pag. 558. seq.

g) FR. HOFFMANNI Medic. ration. systematicae Tom. IV. P. II. Hal.  
1736. 4. pag. 262. 63.

h) HALLERI Phylol. T. VI. vbi aliorum praecipue leguntur auctoritates.  
i) k) THOMAS COE Abhandlung von den Gallensteinen; nebst JAMES  
MACLVRG's Versuchen mir der menschlichen Galle etc. aus dem Engl.  
Leipz. 1783; 8. pag. 81. seq. pag. 450. seq.

l) Dissertatio sistens experimenta nonnulla cum calculis vesiculae selleae  
humanae instituta, quam praef. CHRIST. GODOF. GRVNERO defendit  
Auctor BENJ. GOTTL. FRID. CONRADI. Jen. 1775. 4.

m) HENR. FRID. DELII De Cholelithis Obseruat. et Experimenta etc.  
cum tab. Erl. 1782. 4. p. 13 — 15.

**MACQVERIVS,** <sup>n)</sup> cuius liber studio praecipue Exper. LEONARDI etiam in hoc capite insigniter auctus fuit. Qui quidem viri clarissimi omnes magno sane acrius studio quam plurimorum et menstruorum et aliorum corporum, quae agendi vi praedita esse ipsis videbantur, efficaciam explorarunt. Igne calculos tractarunt libero, attenderunt ad effectus, qui in eisdem diuersa aquarum genera, communis, pura, minerales, arte aere impregnatae; varii vegetabilium succi; serum lactis; alcalia et mitiora et caustica; acida et fortiora et tenuiora; salia media; fluida spirituosa, spiritus vini rectificatissimus, naphthae, spiritus dulcificati; olea tum aetherea, tum vnguinosa, sapones, aliaque corpora artis ope producta exsererent.

*Igni* quidem si admouentur huius generis calculi, mollescunt, liquefunt, sumum, nidorem emittunt, concipiunt flamas, paucae phlegmatis guttae adscendunt, oleum fluit flauum, rubrum, nigrum, empyreumaticum; remanet carbo niger, splendens, qui cum spiritu minerali in crystallos abit, ut HALLERV, DELIVS, ACRELIVS obseruarunt. Odorem crinium combustorum STROEHLINIVS, et cerae vstae GRENIUS eodem processu percepserunt. Calculi, quos prunis carentibus imposuit DELIVS, similiter sparserunt fumum, excanduerunt, reliquerunt perparum cineris vix a magnete attrahendi, qui cum acidis mineralibus effebuit, et solutus ex alcali solutione paululum terrae calcareae praecipitavit. HOFFMANNVS vero admodum sollicitus virtutem concretionum biliarum flamas concipiendi atque conflagrandi ad ipsorum colorem relatam, legibus quibusdam subiecit. Ex ipsis obseruationibus saturioris et obscurioris coloris calculi mox resinae in modum excipiunt flammarum, planeque praeter materiam nigram, cineritiam, sere insipidam, avolant; albidiiores vero, cineriti, cretacei, vt cera fluunt, neque plane, propter terram admixtam, flamma consumuntur. Similiter calculi bouini flavescentes

<sup>n)</sup> MACQVERS chymisches Wörterbuch, übersetzt und vermehrt von D. IO. GOTTFR. LEONARDI. Tom. V. 1782. pag. 238—241.



tes et friabiles" difficulter vel minimam concipiunt flammatum, atque in nigrum abeunt carbonem. Bilia vero bouina inspissata, atque cum tenuissima materia argillacea, et gypsea, combinata post exsiccationem flammatum admota more calculorum cysticorum arsit.

*Aqua simplici* ex plerorumque consensu, COE, DELII, GRENI, ACRELI, nihil de calculis soluitur. HALLERVS vero quosdam aqua solui testatur, quos HOFFMANNVS accuratius definit, qui ut solidiores et saturationis coloris non solui, ita molles, qui aqua ultra dimidium soluerentur, se vidisse afferit. Ex eiusdem auctoritate alii calculorum bouinorum aqua sub ebullitionem parumper soluebantur, et tincturae flauisculae saporem quandam amarum conciliarunt. —

*Aquas quoque minerales* tum aëratas, tum martiales, tum salinas, nihil soluisse DELIVS expertus est, quod ipsum de aquis arte *acido aëreo imprægnatis*, quae parum vel nihil soluendo in se suscep-  
runt, PERCIVALIVS <sup>o)</sup> perhibuit.

Fuerunt quoque, qui varios *vegetabilium succos* soluendis calculis adhiberent; HALLERVS, qui aliorum nititur testimoniosis, crux-  
tam modo exteriorem succo raphani rusticani mollescere, in cochleariae vero, naſtūtiōrum, omninoque recentiorum vegetabilium succis solvi afferit. DELIVS per taraxaci, graminis succos nonnihil de suis calculis exceptum fuisse contendit.

Ex eiusdem chemici iudicio, sero *lætis*, quod leui tingitur flave-  
dine, nec ipso *lætti*, in quo frustum calculi injectum intumescit, vis  
solvendi vix tribuenda erit.

Neque insignes sunt *alcalium aëratorum effectus*; *olei tartari* per deliquium et cinerum clavellatorum solutio flavescit modo, nullam destructionem aut solutionem operatur, ut CONRADVS, DELIVS et GRENIVS bene annotarunt, ne effervescentiam quidem sub illa-  
rum

<sup>o)</sup> Ioh. PRIESTLEY'S *Versuche und Beobachtung, über verschiedene Gattungen der Luft.* a. d. Engl. Tom. II. Leipz. 1779. 8. pag. 378. — MATTH. DOBSON *Abhandl. über die medicinischen Kraefte der fixen Luft,* a. d. Engl. Leipz. 1781. pag. 173.

rum affusionem percepit BEZOOLDVS. Eadem quoque *salis cornu cervi*, et *spiritus salis ammoniaci aquos* per quam volatilis, ratio, quorum uterque secundum CONRADI et DELII testimonia minime in hosce calculos agit. MACLVRGVS colotem fuscum aequa ac emolitionem, quam calculi affusis alcalibus et fixis et volatilibus subeunt, a sola forte aqua calida, ex quorundam opinione, pendere putat. Ab hisce auctoritatibus HALESIUS cum HALLERO dissentit: ille in lixivio salis tartari calculum pisti magnitudine penitus solvit, hic vero sal liberum lixiviosum calculos solvere afferit; forte *caustica* innuerunt, quippe quae plus efficiunt. *Alcali vegetabile causticum* frustum calculi paullo vehementius aggrediebatur, indeque, ut DELIVS narrat, viridescebat, minime vero vidit GRENIUS, qui et ipse *spiritum salis ammoniaci causticum nihil soluisse expertus est.* Contra vero ACRELIUS *alcali volatile causticum*  $\frac{4}{20}$  calculi excepisse statuit.

MACLVRGVS lixivium sanguinis eodem modo ab huius generis calculis affici, quo per sanguinem coagulatum variari solet, suis intellectu tentaminibus. DELIVS vero idem lixivium iniectis calculis flavescere, minimamque particulam de ipsis solui afferit.

Vim aquae calcis, quam plurimi maximis laudibus sustulerunt, nullam pene deprehenderunt CONRADVS aequa ac ACRELIUS.

In unversum BEZOOLDVS calculos nostros cum acidis mineralibus nec effervescente, nec iisdem solui contendit. In quo DELIVS, si ad acida aqua diluta, limpida, vitrioli, nitri, salis, sententiam restringeris, cum ipso consentit, qui colorem quidem calculi mutari, nihil vero de eodem solvi intellexit. — MACLVRGVS per oleum vitrioli calculos in gelatinosam glutinosamque massam nigrum, quae fundo vasis, eiusque lateribus adhaesit, calore converti videt. GRENIUS vero praeter hocce coagulum nigrum, resinosum, quod solutionem in acido vitrioli respuit,  $\frac{3}{20}$  totius calculi eodem acido solutas per magnam aquae copiam affusam forma materiae flocculenta, griseae in fundum deiecit, qui ipsi flocculi recenti acido vitrioli concentrato iterum soluebantur. — Eadem ratione ex eiusdem

Auctoris observationibus acidum *nitri concentratum* egit. *Spiritu nitri* similiter calculum biliarium solvere, scribit STROEHLINIUS, qui ex hac solutione flava, salis tartari adminicule, terram griseam, calcaream, praecipitem dedit, affuso vero spiritu vini tincturam succineam amariuscum, quae terram priori similem depositit, efficit. Eodein menstruo, cuius efficaciam MACLVRGVS per ignem auxerat, externa calculi superficies per breve tempus corrosa fuit, fluidum vero flavum subierat colorem. CONRADVS quoque cum acidum nitri tenuius tribus vicibus recens superfuldisset, calculum praeter materiam cerea similem, valde friabilem, aegre inflammabilem, soluit. — Ex acidorum vegetabilium numero DELIVS *acetum vini*, tum simplex, tum destillatum ad examen adhibuit, nihilque ipso solui testatur.

*Salia media aqua soluta* in vniuersum, vt DELVIS expertus est, calculum vix aggrediuntur, praeter *sal aperitivum Fridericianum*, seu *sal Glauberianum nativum*, quod paullulum flavescit. Praecipue vero **CONRADVS** horum corporum in calculos efficacie exploranda multum impedit laboris, quo ipso *liquorem nitri fixi* sub digestio- nem tingi quidem, nullam vero efficere solutionem; *sal ammoniacum depuratum* solutum, odorem admodum pungentem quidem euol vere, colorem vero vel digestione protracta non variare; solutionem vero *terrae foliatae tartari*, quippe quae quandam produxit mucilaginem, calculos non nihil immutasse intellexit. Idemque HAHNEMANNI<sup>2)</sup> ex parte comprobant tentamina, qui *liquorem terrae foliatae tartari* cum spiritu nitri dulci combinatum, minori temporis spatio, quo utrumque menstruum solum aliquid de calculis in se suscipere solet, ut massam ex bile per spiritum vini praecipitatam, ita calculos felleos solui vidit, quin aegrotis, quibus talem exhibuerat miscelam, magnum morbi hujus attulit leuamen.

Quo melius, quae singuli de *spirituum* in calculos actione perhibuerunt, intelligamus, insignis cuiusdam phaenomeni ante omnia mentio.

p) HAHNEMANN Etwas über die Galle und Gallensteine in CRELLES chemischen Annalen 1788. Tom. II, pag. 296. seq.

mentio facienda est, quo post breuem hujus generis calculorum cum spirituosis plerisque digestionem, crystalli squamosae, splendentes argenteae, leuissimae, pingues, talco similes, in omni vase ubique conspiciebantur. Quod quidem sal, si hoc nomine insignimus, ex CONRADI tentaminibus flagrat, liquefit ad instar cerac, nullum sub ipsam conflagrationem spargit odorem; secundum GRENIUS vero obseruata in calore digestorio et oritur, et in eodem majori spiritus copia affusa persistit, tandemque calculum non quidem imminutum, sed forma externa modo mutatum recepit. ACRELIUS vero hasce crystallos, recenti spiritus vini portione affusa, igni admotas solui, et solutione filtrata post refrigerium iterum prodire vidit, quae ipsae post spiritus euaporationem  $\frac{27}{100}$  lothonum pondus effecerunt; residuum vero carbonaceum, nitidissimum, diligenter a spiritu vini purgatum  $\frac{4}{100}$  loth. expleuit. Quae crystalli si calore funduntur, oleum fuscum, nigrum praebent, flamma ardent caerulea, albescente, carbonemque spongiosum relinquunt, qui per tubum ferruminatum totus consumitur planeque acido nitroso, prorsus non aqua destillata, soluitur. Quae solutione hac evaporata restant, caloris gradu successice aucto, primo colorem albo-griseum, tum fuscum subeunt, tandemque in carbonem spongiosum mutantur. In natura vero harum crystallorum explicanda auctores non plane consentiunt. Alii, ut POULETIERIUS DE LA SALLE et DELIUS, has lamellulas splendentes sibi sedativo analogas habuerunt. In primis que hic eo firmare studuit sententiam, quod similes crystallos in vitris, quibus partes corporum in spiritu vini servantur, repererit, ut ideo ipsarum origo a pinguibus animalium partibus ipsi repetenda esse videatur. GRENIUS<sup>2)</sup> vero lamellulas hasce habet cholelithos nondum in principia solutos, quippe qui calore liquefacti, particulis spiritus vini intercedentibus, hanc subierunt formam. In universum spiritus nihil de calculis hujus generis solvere, contendit, CORNUTUS & HOFFMANNUS & GRENIUS ad spiritum vini rectificatissimum modo

B 3

q) Handbuch der Chemie. Tom. II. §. 1536.



modo respicientes, assensuntur. Ille enim de calculis humanis nihil ab hoc menstruo susceptum fuisse, bovinos vero brevi tintos saporem sibi conciliasse amarum asserit; hic vero ex pondere calculorum non imminuto nihil solutum fuisse iure argumentatur. Alii aliam sententiam HALLERUS spiritum vini rectificatissimum alios calculos solvisse, alios non mutasse, aliis colorem tinturae succini, saporemque amarum conciliasse scribit. CONRADUS idem menstruum calculos plane solvisse, DELIUS, primum aggredi, tum solvere perhibent. Quin ACRELIUS idem potissimum calculi sui expertus est menstruum, quippe quo, duorum nychthemerorum spatio, fere totus fuit consumtus, praeter exiguae quasdam membranulas. MACLURGUS quoque per calculos granulatos, frigore in spiritu vini non solutos, affuso acido nitri, menstruum viridi tinctum conspergit colore, ipsi vero calculi album non induerunt; lamellati contra, qui vel frigore per se fluidum flaviusculum reddiderant, calore penitus solvebantur, & lamellae illae crystallinae prodierunt.

*Naphtha* *virio* omnem pene calculum, praeter materiam membranosam, ex CONRADI tentaminibus solvit, eademque crystallos quoque illas adiposas exinde elicit. Cuius quidem observationem duumviri et GRENUS et ACRELIUS sua muniunt auctoritate. *Liquore anodyno*, cui aliquid naphthae inhaerebat, calculus leni calore in tentamine, quod DELIUS instituit, penitus solutus fuit. *Spiritus nitri dulcis* calculis superfusus frigore tingebatur, flocculi apparuerunt in superficie, ad ebullitionem vero calefactus multum in se suscepit, post refrigerium ex solutione hac flocculenta illa massa in conspectum prodiit, cuius insignem levitatem CONRADUS accuratius definit. Quod ipsum MACLURGUS quoque observavit, qui praeterea si hosce calculos, qui per spiritum nitri dulcem formam cretaceam subierant, acido vitriolico superfuderat, colorem in rubicundum, tum nigrum mutari, calculos ipsos in gelatinam abire conspergit.

L.

*Liquor antispasmodicus* PROTESTII ex tribus acidis mineralibus, vitrioli, nitri & salis paratus, quem CONRADI hoc consilio impedit, sub ebullitionem calculum praeter membranulas quasdam crassiores solvit. Aqua si solutioni affunditur, albus prodit color, innatant spiculae, & oleosi aliquid appetet.

Praecipue oleum et spiritum terebinthinae omnes aque ac singuli in hosce calculos cognoverunt efficacissimum. HALLERUS spiritu terebinthinae quosdam modo, oleo vero omnes deliquescere asserit. MACLURGI calculus emolliebatur, abiit in frustula, exacte tamen haud fuit solutus. GRENIUS quoque dimidia olei huius vncia decem calculi grana sine vlo calore plane solvit, & ACRELIUS digestione <sup>152</sup> <sub>100</sub> calculi eiusdem menstrui auxilio dissolvit. — Neque defuerunt, qui menstruum hoc per se haud inefficax combinatione cum aliis menstruis fortius adhuc reddere tentarent. CONRADUS quidem per combinationem eiusdem cum spiritu vini rectificatissimo menstruum obtinuit, quod debilius, quam spiritus vini merus, nullam absolvit solutionem. E MACLURGI vero testimonio haec miscela maxime praestat, quippe qua calculi structurae compactioris, qui a spiritu vini nec ponderis nec coloris patiebantur mutationem, aliqua olei terebinthinae parte affusa conciderunt in frustula, fluidumque fuscum reddiderunt. Assertum igitur quorundam, ut VALISNIERII atque PERCIVALI, qui optimum remedium ad calculos solvendos spiritum vini cum oleo terebinthinae mixtum commendarunt, non plane in dubium vocare licet. — DURANDE <sup>r)</sup> vero per oleum terebinthinae partibus aequalibus cum aethere vitrioli, hunc ipsum, qui facillime volat, coercendi consilio copulatum, vel frigore calculos egregie, praeter exiguum terrae calcareae particulam, solvit.

Oleis

<sup>r)</sup> Anfangsgründe der theoretischen und practischen Chemie von Dr. MORVEAU, MARET und DURANDE, a. d. Franz. übers. von D. Ch. Chr. Weigel. Leipzig. 1780. Tom. III. p. 240.



Oleis vnguinois et DELIUS et GRENIUS in calculis dissoluendis optime fuerunt usi. Ille calculi frustum in oleo olivarum et butyro deliquescere vidit; vitello quoque ovi frusta varia cum aqua tepida per aliquot dies digesta, maximam partem soluit. Hic vero per oleum amygdalarum expressum calculum accidente calore penitus solvit.

Sapones et communis et venetus aqua soluti, ex DELIUS testimonio, post plures demum dies calculum soluere visi sunt; CONRADVS vero se nullos a veneto nec in ponderis imminutionem, nec coloris mutationem percepisse effectus testatur.

Tinctura antimonii tartarisata, eius solvendi virtutem DELIUS quoque explorandam sibi sumxit, bene quidem, neque tamen tanta, qua liquor anodynus celeritate, calculum in se suscepit.

Qui quidem labores hic usque enarrati, naturam calculorum tum per resolutionem in partes constituentes, tum per diversam menstruorum in ipsos efficaciam egregie illustrant. Facile vero eventus dissentientes, praecipue in menstruorum vi exploranda, inter se conciliari possunt, si ad varia attenderis momenta, quae plerumque magnam in omne experimentum vim exserunt. Natura ipsa calculorum, structura eorundem, diversa partium necessiarum relatio, quae probilis, e qua orti sunt, differentias, tempore, quo in vesicula fellea haeserunt, numero calculorum, qui simul in eadem dignuntur vesicula, caloris gradu, vitae genere, motu corporis etc. admodum variat, atque magnum discrimen, quod inter ipsa obtinet menstrua, cum alia impuriora sint, alia a peregrinis plane immunia particulis, alia fortiora aliis, attendenda sunt. Earum denique rerum quae externe accedunt, caloris et frigoris, quantitatis menstrui, aliorumque, probe ratio quoque habenda est.


Communis vero medicorum et chemicorum haec olim fuit de natura calculorum biliariorum sententia, ut salia media naturalia haberent, quae oleosis obvoluta, adeoque ex sale atque principio inflammabili, conflata essent. Diligentiori vero examine recentiores duplicum exinde elicuerunt materiam, massam ceraceam,

ceraceam, siue seum inspissatum, quod phlogisto, acido aëreo et acido vegetabili constituitur, et lympham coagulatam, quam alcali volatile, acidum phosphori et terra calcarea efficit. BEZOLDUS quidem ex natura harum concretionum salina sibi explicare posse videtur, cur nulla acidorum in illa sit efficacia. CONRADUS suos calculos ex pinguedinosis, gelatinosis et terreis particulis, quae naturae fuerunt calcariae, compositos suisse ex suis colligit tentaminibus. Coe tres classes horum calculorum constituit, alii ex meris particulis terrestribus, e sanguine separatis, alii ex crassioribus bilis particulis inspissatis, quibus nihil terrei admixtum, ut ideo pro vario bilis colore ipsi quoque admodum varient; alii, iisque plerumque obvii ex biliosis et terreis simul constituantur. DELIUS eosdem resinam habet animalem, quae principio inflammabili, acido praecipue phosphoreo, constat. ACRE-LIO principium resinosum, crystallorum formam facillime subiens, praecipuum ipsorum partem necessariam, minorem vero particulae terrestres efficere videntur. GRENIUS vero et principio ceraceo et lymphae coagulata hos ipsos componi suis experimentis egregie confirmavit.

Propositis igitur, quaecumque de aliorum in analysi calculorum biliariorum studiis colligere potuimus, nostra iam tentamina qualia- cunque, quae ad partes calculorum biliariorum necessarias eruendas instituimus, erunt subiungenda.

### EXPERIMENTUM I.

Calculos quatuordecim in eadem vesica fellea contentos chemicò commisi examini. Aquae omnes innatarunt. Forma ipso- rum irregulariter octaedra, quibusdam acuminibus albis insignis fuit, color variegatus, puncta fusciora praecipue in planis, quae acumina interiacerunt, conspiciebantur. Calculis disruptis cortex modo crassior, modo tenuior ac limpidor apparuit, massæ interio-



ris structura striata, exteriora flavescens, ad centrum fuscior, quin nigra, in ipso centro spatium quoddam triangulare.

Quos quidem calculos felleos, quorum pondus drachmam unam grana 27 effecit, distillationi siccae cum subiecisset, igne leni quaedam post dimidiā horam in vasorum vitreorum lateribus apparuerunt vesiculae aquosae; iam vero ignis gradu aucto, statim praeter opinionem, ita, ut ego et amicus adstantes phænomenon miraremur, ingens vaporum albidorum, nebulam spissam referentium multitudo omne implevit excipulum, nec multo post, vapores postquam subsederant, fluidum spissum, tenax, striae crassioris forma, primo flavescens, tum fuscus, tandem nigrescens transiit. Ignē ita per duas horas sustentato, vasisque postea refrigeratis, in excipulo massa conspiciebatur spissa, flavo-fusca, quin nigrescens, lateribus vero eiusdein assedit resinosa, flava, plane ceram flavam impuriorem referens, cui vapores isti spumescentes forte ortim debuerunt. Pondus huius distillati effecit drachmam unam, grana 12. Carbo vero in retortula sublīdens, niger, levis, more fuliginis spidentis nitens, undecim confecit grana. Perierunt igitur vel aëris forma, vel ut oleum spissum vasis adhaeserunt grana quatuor.

Distillatum, quod nulla acidi nec alcali liberi in reagentia prodidit vestigia, odorem ammoniacalem, empyreumaticum, omninoque admodum nauseosum sparsit. Cuius quo melius cognoscere naturam, denuo omnem hanc massam spissam in utroque excipulo collectam subieci distillationi. Ignē iam lenissimo in cucurbitam excipientem olei albi, aetherei, subtilissimi, odore admodum pungente, terebinthinato insignis, grana 10 transferunt, quippe quo pondere excipulum auctum fuerat. Deinde vero hocce vasculo excipientē aliud applicavi, in quo oleum empyreumaticum fuscum collegi, quod, ut ex alembici vasisque excipientis aucto pondere patuit, gr. 49. effecit. Carbo, qui in cucurbita subsedit, compactioris stru-

cturæ

eturae in modum foliginis insigniter splendebat. Cuius quidem nimis pertinaciter vasi vitreo adhaerentis duodecim modo grana abradere licuit, quae ipsa in cucurbita per plures horas igne admodum fortè excandefacta ad duo fuerunt imminuta, in quæ acidum nitrosum nullos prorsus exseruit effectus. Quae cum denuo igne per quam fortè calcinasse, ne nunc quidem vel aliquid amiserunt. Cum quidem igitur certitudine de ipsorum natura gelatinosa vel lymphatica licet argumentari.

Idem fere cum carbone, qui de priore destillatione restabat, evenit. Hic enim, pondere granorum undecim, per duas horas igne fortissimo calcinatus septem amisi grana. Quae restabant grana quatuor, per acidum nitrosum purum superfusum, per aliquod tempus digestum, ne minimam quidem partem soluebantur, pondus ipsorum non fuit imminutum, neque per acidum vitriolicum ex hocce acido nitroso superfuso quicquam selenitis sese praeceps dedit. Eiusdem itaque naturae, qualis prior, hic quoque carbo suisse videtur.

Secundum examina huc usque enarrata sequens partium hos calculos constituentium fuit ratio:

Olei subtilissimi	—	—	gr. 10.
— crassioris, empyreumatici	—	—	49.
Partium volatilium, quæ igne aperto extricabantur	—	—	17.
Residui gelatinosi	—	—	6.
Perierunt aëris forma	—	—	4.
		31.	gr. 26.

Adeoque gr. 1, sub repetitam destillati primi destillationem, vel avolavit, vel vasis tenacuis adhaesit.

C. 2. diversis conduta in EX:



## EXPERIMENTUM 2.

Duos alios calculos felleos ad aërem praecipue, qui in huius generis concretionibus involvitur, extricandum impendi. Forma ipsorum fere fuit cubica, tres superficies laeves, politae, nigerimae, concavae, reliquae spongiosores, convexae; illis enim haud dubie tum inter se, tum ipsi vesicae assederant, hae vero bile affidue fuerunt circumdatae. Cortex exterior in aliis locis crassior, in aliis tenuior, praecipue in politis, nucleus involvit crystallinum, egregie formatum, flavescentem. Mulier, in cuius vesica fellea post eiusdem obitum calculi isti fuerunt reperti, quadraginta circiter annorum, saepius puerpera, quantum euidem accepi, bona et optima fuit, et cum praecipue corpore fuerit robustiore, fruebatur valetudine, praeter ultimum semestre vitae sua spatum, quo morbo admodum molestio, haemorrhagia uteri suminis doloribus coniuncta, vexabatur. Instituta corporis mortui dissectione carcinoma uteri, quod suspicatus iam fuerat medicus, sese obtulit, simulque duo isti lapides in vesicula latuerunt fellea. Quorum genesis dissensus, qui inter maritum ipsamque obtinuit, quem animi aegritudo, rixae quotidianae, quin verbora immerita sequebantur, forte fuisse videtur.

Quos ipsos calculos pondere drachmarum duarum cum semisse cum aëris exinde eliciundi consilio in apparatu pneumatico-chemico via consueta tractareim, primum igni aperto admoti liquefiebant, tum vapor ille, quem antea descripsi, aërque nebulosus transiit in vas cylindraceum aëri excipiendo inserviens, variisque in locis tubulo retorto materia adhaesit ceracea, quam ipsam, cum vi aquae in ipsum pelleretur cylindrum, veram ceram flavam cognovi. Post horam dimidiā igne auctō omnis solvebatur massa, ebullivit, multumque aëris emisit, qui in universum spatum unciarum septem aquas explevit. Qnem quidem cum ia examen vocasset,

aquam

aquam calcis turbavit, chartam tinctura heliotropii imbutam reddit rubicundam, igneque admoto magna flagravit flamma, quae odorem admodum ingratum, foetidum, qualis aëris inflammabilis esse solet, emisit. Duplici igitur aëris genere fuit consitus, tum acido aëreo, tum aëre inflammabili. Longe vero maior huius, quam illius fuit copia, cum aqua minorem contraheret albedinem.

Residuum pondus drachmae unius cum dimidia, granorumque tredecim conficiens in crucibulo cum excandefacerem, primum vapores exigui, tum densiores prodierunt, qui paullo post in flamas abierunt apertas, massa conflagravit, atque continuata residui per plures horas calcinatione, ad finem restiterunt grana septem, quae cum acido supersudissim nitroso, efferbuerunt, solutio post aliquod dies colata, affuso acido vitrioli, selenitem in fundum demisit.

Maiori igitur parte inflammabili hi calculi abundabant, quam priores, quod vel color niger ex parte innuere videtur. Terra quoque calcarea his admixta fuit.


#### ANALYSIS CALCULORUM URINARIORUM.

Quam modo in laboribus chemicorum ad naturam calculorum biliariorum eruendam recensendis ingressi sumus viam, nunc quoque retineamus. Analysis per destillationem siccum subiungamus effectus ignis et relationem ad alia corpora. Experimenta vero, quae alii cum renalibus alii cum urinariis insituerunt, propter insignem utrorumque lapidum convenientiam hic coniungere non incongruum habuimus.

Primum incidimus in IOANNEM BAPTISTAM VAN HELMONT<sup>s</sup>), qui ut multa in campo chemiae amplificando praeslitit,

C 3

<sup>s)</sup> I. B. VAN HELMONT de Lithiasi cap. 3. §. 35 et c. 5. §. 9.  
Oper. Omn. Vol. II, quod Opuscula eius inaudita continent. Fiscf.  
1707. 4. p. 21 et 31.



stitit, maioraque, si illis, quibus nos gaudemus, adiutus fuisset detectionibus, per ingenii sagacitatem effecisset, ita calculos examinandos sibi quoque sumisit. More vero suo calculum humanum obscuro nomine *Duelech*, ex THEOPHRASTO PARACELSO petito, <sup>1)</sup> insigniuit. Per destillationem siccum elicuit ex eodem spiritum foetidum vrinae, flauam crystallum, simulque oleum, quale ex desicata vrina trahitur; relinquebatur faex terrea, nigra, friabilis, post combustionem non amplius petrosa, insipida, vix aliquid salis vrinae fixioris reservans.

SLARIUS <sup>2)</sup> destillatione calculi oleum et alcali volatile obtinuit, carbo residuus combustionē mutatus est in cineres.

HALESIVS, <sup>3)</sup> qui praecipue aéri e calculis euoluendo operam impendit, et aliorum et sua tentamina hoc consilio suscepta enarrat. Destillando ex calculo vrinario, qui magnitudine fere tres pollicis cubici quadrantes, pondere grana 230. expleuit, celerime aëris elasticē pollices cubicos 516., qui 645. vicibus calculi excesserunt magnitudinem, extricauit, ut plus dimidio calculus in elasticum mutatus fuerit aërem, salisque volatilia simul vaporibus albis surgentia auolauerint. Calx, quae absoluta destillatione restabat, grana 49., sive  $\frac{1}{4}$  cum  $\frac{2}{3}$  ipsius calculi efficit, aëre non delinquit,

<sup>1)</sup> MICH. BERNH. VALENTINVS in clavi, qui HELMONTII Oper. Tom. I. praemissus, *Duelech*, ait, PARACELSO calculus humanus dicitur, forte quod duobus ortus sit principis, materia scilicet fluida et coagulatore quodam, spiritu lapidifico quibusdam dicto.

<sup>2)</sup> Philosoph. Transact. abridg'd. Tom. III. pag. 179.

<sup>3)</sup> STEPHAN HALE. *Statistical Essays*, Vol. I. pag. 194. seqq. edit. german. pag. 112. seqq. Eiusd. libri Vol. II. *Containing Haemasticks, or, an Account of some Hydraulic and Hydrostastical Experiments made on the Blood and Blood Vessels of Animals, etc.* Lond. 1733. 8. pag. 212. seq. German. *Statick des Geblüts, nebst besondern Versuchen an Nieren- und Blasensteinen etc. von St. Hales.* Halle. 1748. 4. pag. 204. seqq.

cuit, quod ex salis tartari absentia *H.* repetit. Similiter cum calculi granis 115. acidi nitroſi vnum superfudisset pollicem cubicum, ſpatio duarum vel trium horarum ſoluebantur, pollicesque 48 aëris emiferunt, quorum 9 intra dies quosdam vi priuati fuerunt elatica.

MARGGRAFIUS quoque in Actis Berolinensibns <sup>2)</sup> experimenta ſua cum veficæ vrinariae calculo, qui vncias septem ponde- re effecit, instituta litteris consignauit. Destillatione ſicca e calculi vna cum duabus drachmis ſalis ſublimati duas drachmas cum ſemife obtinuit, quod repetita destillatione primum quasdam liquidi cuiusdam guttas, albumque ſublimatum, aucto vero igne oleum ſpiffum et flauum, cuius vera natura acida videbatur, praebuit. Quae in excipulum tranſierat maſſa ſalina, nares odore vri- noso vehementer affecit, ſublimatum, quod retortae collo affedit, partim variegatum, quaſi in puluerem comminutum, partim impurum oleoque mixtum fuit. Cuius quidem maxima pars aqua ſoluebatur praeter grana 6, quae olei ſpiffi forma colatorio de granis 24. adhaeferunt. Solutio haec inſpiſata tria ſalia, primum omnis ſapo- riſ expers, alterum dulce, tertium quodammodo amarum praebuit, quibus omnibus alcali volatile admixtum fuit, cum addito ſale tar- tari ſal volatile ſublimaretur, et in retortae fundo exigua ſalis mi- crocosmici particula affideret.

SCHEELIUS <sup>2)</sup>, qui per insignem in ſtudium chemicum feruo- rem exactae quoque calculorum analysis operam impendit, inter alia tentamina, quae cum calculis veficæ vrinariae ad eorum indolem

ex-

<sup>2)</sup> Nouveaux Mémoires de l'Academie Royale des sciences et belles lettres.  
Année 1775. à Berlin. 1777. pag. 3. ſeqq.

<sup>2)</sup> Kongl. Svenska Vetenskaps Academiens Handlingar. år. 1776. pag. 327-332. §. 7. SCHEELIUS Opuscul. Vol. II. Examen chemicum calculi vrinarii. §. 7. pag. 76. Quae commentatio excerpta legitur in CRELLS Neuest. Entdeck. Tom. III. pag. 227. ſeqq.



explorandam instituerat, ex una calculi drachma igne aperto destilata spiritum alcalinum volatilem, spiritum cornu cerui aemulanten, nihil vero olei excepit; in fundo retortae subsedit carbo niger granorum 12; sublimatum vero fuscum gran. 28. collo retortae assedit, quod repetita sublimatione album subiit colorem, sicut subacidum, aqua et spiritu vini excipiebatur, salque referre videbatur succineum.

HARTENKEILIVS in dissertatione<sup>a)</sup> sua, <sup>2)</sup> qua plura, quae ad naturam, genesin, therapiam calculatorum huius generis spectant, proposuit, vberiorem quoque calculatorum vrinariorum tradidit analysin. Vniciam enim vnam calculatorum suorum destillatione siccata cum traxisset, fluidi elasticci 355 pollices cubicos parisienses excepit, quibus acidi aëri 301 pollices continebantur, reliqui 54 pollices aequali aëris nitrosi quantitatib; in eudiometro Fontanae admixti ad quartam partem fuerunt absorpti. Porro olei empyreumatici drachmas 4, grana 9, spiritus alcalini grana 55 obtinuit. Ex pondere vero carbonis in fundo retortae relieti, qui drachmas duas, grana 33. valuit, et olei et salis pondere, grana 23, vaporum elasticorum forma auolasse argumentatus est. Cuius quidem carbonis partem dimidiad gr.  $76\frac{1}{2}$  in crucibulo cum calcinasset, post bihorium in calcem gr. 6. abiit, eademque pars denuo calcinata praeter grani quadrantem omnis euanuit.

TYCHSEN <sup>b)</sup>, qui varia cum calculo suo, quem sibi ad examinandum sumferat, ad SCHEELII praecipue formulam, instituit tentamina, similiter per destillationem siccac ex eiusdem grani

30

a) IOH. IAC. HARTENKEIL Tract. de vesicae vrinariae calculo. Bamb. et Wirzb. 1785. 4. c. Fig. Sect. IV. pag. 13. De analysi calculatorum.

b) TYCHSEN Untersuchung eines Blasenstein, in CRELLS chemischen Annalen, 1786. Tom. II. pag. 407 - 421.

30, aërem, sublimatum fuscum empyreumaticum ex alcali siccum crystallisatum, quasdam fluidi volatilis, admodum limpidi, odorem cornu cerui aemulantis guttas exceptit. Carbo, qui restabat, granorum 16, saporis empyreumatici, acido salino infusus praeter vnum carbonaceae materiae granum solvebatur, nullum vero ex solutione per iustam tractationem potuit elicere phosphorum, cuius causa forte in minima quantitate calculi impensi quaerenda est.

LINKIVS <sup>c)</sup> quo melius originem calculi vrinarii dijudicaret, quaedam de eiusdem praemisit analysi. Ipse quidem drachmas duas calculi igne per gradus ad summum auctio destillavit, liquor flauescens, illi e cornu cerui similis, alcali volatile, tandemque olei empyreumatici guttulae quaedam transferunt, restitit carbo uiger, splendens.

Nolumus vero in calculatorum per destillationem sicciam examine acquiescere, quin, quomodo igne tractati atque cum aliis fluidis combinati steterint, intelligamus. Fuerunt vero virtus, qui in examine chemico ad relationem ad alia corpora, ignem et menstrua finiendam, in primis quoque animalium attenderent, e quibus praeter iam laudatos viros, FRID. HOFFMANNVS <sup>d)</sup>, qui renales calculos examinavit, atque BERGMANVS <sup>e)</sup> adhuc excitandi sunt.

*Igni* HOFFMANNVS cum calculum trium granorum inieceret, color flauescens abiit in nigrum, odor salis volatilis fortis sine fumo  
nota-

c) HENRICI FRID. LINKII Commentatio de analysi vrinae et origine calculi, praemio in Academia Georgia Augusta ornata, Goett. 1788. 4. Scđt. II. Analysis calculi, pag. 35. seqq.

d) FRID. HOFFMANNI Observat. physico-chemicarum selectior. libri III. Hal. 1722. 4. lib. 2. obs. 24. pag. 229.

e) TORB. BERGMANI Observations nonnullae de calculis vrinariis. Annexae sunt Scheelianis observat. in Actis Holmiens. an. 1776. Opus, Tom. IV. pag. 387. seqq.



notabili spargebatur, totusque praeter paullulum materiae nigrae, prorsus non salinae, consumtus fuit. Alius calculus carbonibus inspersus odorem cornu cerui combusti emisit. Quod ipsum MARGRAFII quoque tentamina confirmant, qui cum scrupulum vnum calculi vehementi igne per bihorum tractasset, odorem percepit vrinosum, carbo relictus per exiguitatem se ponderari non patiebatur. HARTENKEILIVS calcinatione diuersorum calculorum, de vncia dimidia, sive granis 240, modo gr. 152, modo gr. 145, modo gran. 238, modo gran. 160, modo gran. 239, per vim ignis abegit, quin de calculorum gran. 50, qui sponte cum vrina abierant, auolarunt gran. 49 $\frac{1}{2}$ . TYCHSEN et nucleum et carbonem calculi tubo ferruminatorio in carbone candente tractauit. Vterque nigrum subiit colorem, emisit odorem empyreumaticum, tartareum, alcalino-volatilem, tandemque in album, priusquam fundebatur, degenerauit. Cortex magis tumuit, faciliusque cum borace se fundi patiebatur. Hunc ipsum quoque odorem volatilem eo, quod nucleum cum alcali caustico contereret, percepit. LINKIVS vero, drachma vna per integrum horam calcinata, grana sex terrae albae, in acido nitri efferuescentis, recepit; ipsa solutio acido vitrioli assuso selenitem in fundum demisit. De nuclei vero duobus scrupulis post similem calcinationem vix vnum terrae albae restitit granum, quod in acido nitroso cum efferuescentia soluebatur. Puluerem calculi cum nitro in igne fusum idem deflagrare vidit, carbo solutus, inspissatus, alcali vegetabile et nitrum praebuit.

*Aquam* modo puriorem, modo aliis impraegnatam corporibus plerique non sernendum calculorum menstruum cognouerunt. HALESIUS calculi corticem citius calida, quam frigida aqua pulvere albo obduci expertus est. HOFFMANNVS calculi puluerisati

gr.


gr. 10. aquae pluialis semuncia coxit, fluido percolato iaspissa-  
toque materia salina, albicante, amariuscula potitus est, quae ex-  
aminata nulla salis volatilis praebuit vestigia; puluis vero residuus  
pristinum odorem foetidum coctione profrus non amiserat. MARG-  
GRAFIVS, aequa ac SCHEELIVS, maiorem aquae copiam, vncias  
quinque calculi granis octo infusas, hunc post ebullitionem totum  
solueret, post refrigerium vero aliquam eiusdem partem crysallo-  
rum tenuium forma rursus deponere testantur, BERGMANVS vero  
exactam suo edocles vsu non admittit solutionem, cum flocculos  
igne in carbonem vix comburendum abeuntes, acidoque nitroso  
non solvendos receperit. Quod BERGMANI assertum recentissimi  
suis munierunt auctoritatibus. HARTENKELLIVS aqua pura fri-  
gida de calculi gr. 120. per aquae destillatae vncias sex quatuor die-  
bus, duo modo soluit grana; ebullitione vero gr. 5. eadem aquae  
quantitas exceptit. TYCHSEN minimam calculi particulam, quin  
nullam aqua et frigida et ebulliente solui cognouit. LINKIVS cor-  
ticis calculi drachmam vnam, cum aquae vnciis duabus coctam  
emolliuit, duoque eiusdem grana soluit, quae, vt per evaporationem  
patuit, naturae fuerunt gelatinosae. — *Aquae aëratae vim*  
*soluendi recentioribus praecipue temporibus multi suis probarunt*  
*tentaminibus.* Omnis vero virtus acido aëreo tribuenda esse videtur.

Fuerunt quoque, qui *succos* ex variis plantis expressos hoc con-  
silio impenderent. HALESIUS cepae succum cochleariae et armo-  
raciae succis potiorem habet, cum ille calculi superficiem mollio-  
rem reddiderit, LOBBIUS<sup>f)</sup> vero aliis quoque, asparagi, oxalis  
acetosellae, petroselini, allii, baccarum mori, fragariae succis,  
decocto auenae, hordei, lupuli, etc. vinis pomorum, vim emollien-  
di soluendique tribuit.

D 2

Effectus

f) LOBBIUS de dissoluendis calculis. Basili. 1742.



Effectus alcalium mitiorum minimi sunt. Solutio salis tar-  
tari aquosa, et sal alcali volatile siccum ex SCHEELII obseruatione  
non mutant calculum. MARGGRAFIUS vero etiam ab alcalibus  
et vegetabili et minerali in suum calculum quosdam percepit esse-  
ctus. Alcali minerale, eodem teste, cum sanguine calcinatum, sa-  
tis bene vim exseruit. — Longe vero fortius agunt caustica. Li-  
xiuum causticum exacte aereo acido priuatum calculum vel frigo-  
re soluit secundum SCHEELIVM et HARTENKEILIVM; similiter  
LINKIUS exteriorem calculi partem in gelatinam emollitam fuisse  
perhibuit. Ne minimum vero hoc ipso reagente corpore calculum  
suum pondere fuisse imminutum intellexit TYCHSEN. SCHEELIVS  
quoque insignem alcali volatilis caustici vim cognouit.

*Aquam calcis* quidam optimum calculi vrinarii commendarunt  
lithontripticum, quam HARTENKEILIVS quidem non adeo insignem  
cognouit, de altero lapide parum, de altero nihil soluit; similique  
ratione TYCHSEN nihil solutum vidit. SCHEELIVS autem quatuor  
aquaec calcis vniuersis duodecim calculi grana soluit.

*Aquas* vero *thermarum* atque praecipue Carolinarum longe  
aquaec calcis praefert SPRINGSFELDV, <sup>a)</sup> qui calculum in aqua  
fontis furioso plane solutum vidit, minori vero vi sors et nouus et  
molae egerunt. Tribuit hanc insignem soluendi virtutem terrae  
calcareae, quae hisce thermis intime inhaeret; BECHERV <sup>b)</sup> contra  
eandem ex alcali potius nativo, quod e thermis per euaporationem  
extricatur, vel ex insigni aquae communis copia deducit.

Magna

<sup>a)</sup> SPRINGSFELDI comment. de praerogativa thermarum Carolina-  
rum in dissoluendo calculo vesicae p[ro]ae aqua calcis. Lips. 1756.  
pag. 79.

<sup>b)</sup> DAV. BECHERS neue Abhandlung vom Karlsbade. Prag. 1772. Tom.  
III. Sect. XI, pag. 134. 147.

Magna porro diligentia *acida* omnium trium naturae regnorum et fortiora et mitiora in hunc finem adhibuerunt. *Acidum vitrioli* dilutum ex HOFFMANNI, SCHEELIIque assertis nihil solvit, minimum tamen particulam eodem excipi vidit MARGGRAFIVS. Concentratum vero et HALESIUS et SCHEELIVS bono cum successu supersuderunt calculo, hic quidem acidum abstractum spiritum sulphuris volatilem pungentem constituisse, carbonemque relictum fuisse nigrum refert. Solutio calculi in acido vitrilico nigra secundum BERGMANVM affusa aqua coagulatur, et maiori eiusdem copia limpida fit, fulua; secundum LINKIVM eadem solutio per acidum nitri alba et pellucida redditur, nullae se iunguntur crystalli. HALESIUS calore, quem affusa aqua vel adiecta limatura martis acidum vitrioli concentratum emitit, parum efficit, idem vero acidum cum oleo cornu cerui non rectificato copulatum lamellulas calculi optime soluit. — *Acidum salis* nec concentratum nec dilutum ex multorum, vt HOFFMANNI, SCHEELII et BERGMANI, assertis quicquam valet; HALESIUS vero a pollice cubico spatio duarum vel trium horarum gr. 15. calculi vrinarii excipi vidit, quod MARGGRAFIVS quoque de spiritu salis fumante contendit, quo huius unica calculi grana quinque cum dimidio soluit, itemque TYCHSEN acidum suum concentratum praeter particulam calculus in se suscipere solutionemque amaram efficere asserit. Acidum salis *dephlogisticatum* calculo flave tingi, parum vero soluere, LINKIVS primus suo eductus probat vsu. — *Acidum nitri* fortissime agit in calculos. Aqua fortis bona notae calculus calore penitus soluit, ex qua solutione per oleum tartari nullum HOFFMANNVS praecepsit colligit. Secundum SCHEELIVM dilutum acidum vel frigore in calculus agit, calore effervescit, ipsumque plane soluit; solutionem hanc idem chemicus diligentissime explorauit. BERGMANO vero non exacte calculus solue-

D 3

batur.



batur, terra enim solummodo excipitur calcarea, quae in centumpon-  
dio semilibram efficit. Quod ipsum MARGGRAFIUS quoque testatur,  
qui, quamvis hoc acidum omnium vehementissime calculum fue-  
rit aggressum, unum tamen granum de scrupulo uno calculi non  
solutum recepit. In HARTENKEILII quoque experimentis spon-  
giosi quidam flocculi ad fundum volitantes solutionem in acido ni-  
troso respuerunt. Applicato apparatu pneumatico - chem-  
ico horis quinque 63 pollices cubicos parisienses aëris excepti.  
TYCHSEN vero plenariam calculi sui in eodem acido solutionem  
effecisse, et ope alcali vegetabilis terrae  $\frac{1}{2}$  praecipitasse testatur, vel ex  
alia solutione inspissata sal acre, facile deliquescens obtinuit. LIN-  
KIUS hocce menstruo ad calculum ulterius decomponendum atque  
examinandum usus est, quippe qui pluribus vicibus corticem inprimis  
acido solvit nitroso, atque solutionem varia ratione tractavit. TYCH-  
SEN quoque fuscum calculi sui corticem excepta parte exigua aci-  
do eodem solvi vidit. — Ex acidis animalium MARGGRAFIUS phos-  
phoreum et formicarum adhibuit, quorum illud nihil plane calcu-  
li in se suscipit, hoc vero exiguum tantum eius partem dissolvit. —  
*Acidum citri*, ex TYCHSENII observationibus, longe fortius calculum  
quam acetum destillatum solvit. Acida vero vegetabilium mi-  
tiora, veluti citreum et acetosum ex LOBII testimonio pedetem-  
tim et emolliunt et solvunt calculum. *Aceti concentrati* uncia una  
secundum MARGGRAFIUM unum in se suscepit calculi granum. —  
*Acidi aërei* adminiculo HALESIUS iam aliquam calculorum suorum  
effecerat solutionem, effactus vero acido sulphureo, quo in hunc  
finem utebatur, non acido aëreo tribuit. Sal enim tartari cum mi-  
scelae ex aqua et oleo sulphuris immississet, effervescebat fluidum,  
eodemque tempore frusta calculorum immissa ita egregie solveban-  
tur, ut illud optimum ex omnibus acidis mineralibus intelligeret  
men-

menstruum, quod ipsum tamen peracta effervescentia non amplius in calculum egit. Idem quoque hanc miscelam ita vesicae canis vivi applicare ausus est, ut in eadem effervesceret, nullaque in canis valetudinem redundarunt mala. Quo felici HALESTUS tentamine SAUNDERSIUS in illud incidit tentamen, ut de duobus aequalibus calculi frustulis alterum aquae destillatae, alterum aëratae immitteret, in illa nihil, in hac aliqua solvebatur pars. Similia quoque PERCIVAL tentavit, calculi vel aquae pluviali aëratae immisso, vel in acido suspensi aëreo, quod effervescente miscela ex aqua, creta et oleo vitrioli evolvebatur, insigniter et colore mutati et emolliti fuerunt, quamvis huius calculi pondus per aërem fixum fuerat auctum. Quod ipsum suo quoque usū FALCONERIUS comprobavit. Quorum quidem trium virorum experimenta DOBSONUS, cum suo inservirent consilio <sup>i)</sup>, uberioris enarravit. TYCHSENTUS similiter dimidiā amplius calculi partem hocce menstruo solvi intellexit. ACHARDUS vero minimam aquae aëratae vim esse suo inhaerens experimento contendit.

Ex salibus mediis HALESTUS tartari vitriolati laudat virtutem, qua calculos structurae laxioris ex parte comminuit. — Salis ammoniaci solutio calculi gr. tria ex MARGGRAFII testimonio suscepit.

Spiritum vini rectificatissimum MARGGRAFIUS post digestionem vix tintum confinxit.

Spiritum nitri dulcem calculum solvere PECHLINUS <sup>k)</sup> iam monuit; HARTENKEILIUS vero huius, ut et liquoris anodynū, non admodum insignem cognovit virtutem, illius enim unciae sex grana tria, huius unum modo granum solvendo exceperunt.

Varias:

i) DOBSON *Abhandlung über die medic. Kräfte der fixen Luft.* L. 1781. pag. 94. seqq. et 174 seqq.

k) Observat. physico-medic. Libr. III. Hamb. 1691. 4to. p. 31.

=====

Variae vero horum chemicorum de calculorum urinariorum  
natura partibusque constitutivis sententias, quas tentaminibus hisce  
huc usque enarratis supersiruxerunt, consideremus diligentius, ut,  
quae reliquis praeflet, finire nobis liceat. HOFFMANNUS calculos  
suos renales nulla terra alcalina, lapidosa, fixa et calcarea, nullo  
ale alcalino fixo, tartareo, aut ammoniacali medio, nulla pingue-  
dine, vel principio oleoso aut sulphureo constitui, sed glutinoso et  
mucoso principio animali, vel parte sanguinis, lymphae et seri glu-  
tinosa atque terrestri effici existimat. HALESIUS calculos urinarios na-  
ture habet tartareae, eosdemque tartarum appellat animalem, eoque  
consilio plura momenta, quibus uterque inter se conveniat, recenset,  
quorum praecipuum est, quod uterque maximam æris et principii elab-  
orati copiam offerat. SCHEELIUS calculi naturam nec calcaream nec  
gypseam habet, sed ex eius mente constat acido oleoso, sicco, vola-  
tili, cui non nihil gelatinosi admixtum, quod sali succini analogum  
videtur. BERGMANUS ab ipso in eo solum, quod terram quoque  
calcaream in eodem invenerit, dissentit. Ex horum duum-  
virorum sententia calculus acidum constituit siccum peculiaris indo-  
lis, quod alcali volatili iunctum est, praecipuisque his gaudet affe-  
ctionibus, ut ab acido nitroso cum effervescentia solvatur, quae solu-  
tio manus et chartam purpureo colore imbiuit; ut cum alcali fixo con-  
stituat sal medium, quod ab omnibus acidis destruitur; ut calces me-  
tallorum maiori attrahat affinitate, ideoque salia praecipitet metallica.  
Quodsi acidū, quod calculis inhaerere et SCHEELIUS et BERGMANUS  
statuerunt, diligentius consideramus naturam, ille quidem sui  
generis acidum, varie modis datum, hic vero verum saccharinum ha-  
buit. BRUGNATELLI <sup>1)</sup> quidem Scopolio honorem, quod illud aci-  
dum

1) BRUGNATELLI in CRELLS chemischen Annalen, 1787. Tom. II.  
pag. 112. seqq. 116. seqq.

dum pro vero saccharino declaraverit, tribuere studet, qui vero nullo modo BERGMANO potest detrahi, qui variis in locis suam asseruit sententiam, cum acidum saccharinum modo cum particulis terreis<sup>m</sup> ), modo cum mucilaginosis<sup>n</sup> ) combinatum in caleulis urinariis sese comprehendisse testatur.

TYCHSEN corticem calculi sui terra calcarea et principio gelatinoso, quod ex phlogisto, alcali volatili, aqua et aëre fixo constitutum sit, constitui per tentamina intellexit. Nucleus iisdem quoque partibus, minori vero phlogisti quantitate gaudet. In huius generis calculos acida agunt fortissime; in alias vero, qui naturae acidae, salinae, volatilis, magis empyreumaticae ex SCHEELII, BERGMANI, MARGGRAFII, ACHARDI testimonio sunt, alcali causticum et aqua calcis vehementissime agunt. LINKIUS e suis experimentis sequentia deducit: acidum, quod basin calculi constituit, verum esse acidum phosphori, quod cum terra calcarea, alcali volatili, oleo et aëris speciebus omnem efficiat calculum, suamque sententiam, qua acidum calculi phosphoreum habet, cum reliquorum assertis, qui saccharaceum putant, coniungere studet. In uniuersum igitur calculum habet urinam coagulatam, cui aquae maxima pars demta est, eamque coagulationem, sine ulla urinae corruptela, quae eius partes constituentes evolvere et mutare possit, factam, in solo humano corpore locum habere existimat.

Calculi igitur urinarii ex tentaminibus hucusque enarratis hisce inter se differunt affectionibus: alii plus, alii minus, alii nihil terae continent calcareae; oleum nisi in omnibus, in multis tamen fuit repertum; omnibus alcali volatile, et acidum a veteribus neglegitum

<sup>m</sup>) BERGMAN in seinem Vorberichte zu SCHEELENS Abb. von Luft und Feuer. ed. 2. von D. I. G. LEONHARDI. Leipzig. 1782. p. 21.  
<sup>n</sup>) BERGMANUS de acido sacchari §. I. Vol. I. ed. 2. pag. 240. Vol. IV. pag. 388. 89.



etum, inhaeret. E quibus affectionibus a se discrepantibus ex parte varii menstruorum in calculos nostros effectus egregie explicari possunt.

Tanta vero virorum in chemiae campo versatissimorum de analysi calculatorum lauius generis cum sint merita, facile eo possemus deduci, ut animum huic capiti nostra quoque studia impendendi despondeamus. Duplex vero conamina nostra excusabit causa, partim quod examinum nostrorum enarratione propria illorum calculatorum, quos nobis tractandos sumisimus, natura partiumque necessariarum inter se copulatio atque relatio appareat, adeoque symbola quaedam cognitioni interiori calculatorum varii generis adiiciatur, partim quod horum chemicorum, quos modo laudavimus, de natura calculatorum asserta meis qualibuscumque tentaminibus illustrentur.

#### EXPERIMENTUM I.

Ad aëris genera, quae calculo urinario integro continerentur, examinanda, hunc ipsum calculus, qui ante plures annos e mulieris sive vivenis adhuc sive mortuae vesica urinaria fuerat exsecatus, apparatu pneumatico-chemico tractavi. Forma eiusdem ovalis fuit, superficies exterior non polita, quin granulata, fusca, cortex exterior durus, particulis conos referentibus quasi conclavatus, interior lamellae tenuiores sibi fuerunt impositae, in media parte nucleus levis, fuscus.


Qui quidem calculus in pulveris subtilis formam redactus tres effecit drachmas, ipsoque cucurbitae vitreae commissio et apparatu pneumatico-chemico instructo, aërem igne admoto exinde extricavi. Brevi temporis spatio primae aëris migrarunt vesiculae, pulvis calculi coaluit in massam pultaceam, emittebantur vapores aquosi, igne vero iam subinde aucto operationem eo usque continuavi, donec nullae amplius vesiculae apparerent aëreas.

Labore

Labore finito sal quoddam tubulo retorto adhaesit, quod, quantum per exiguum copiam examinare licuit, ut alcali volatile fese gessit, aer vero exceptus spatium, quod tredecim unciae aquae communis capere solent, explevit. Ipse iam in examen vocatus prorsus non ut inflammabilis stetit, quippe quo flamma luminis immisso non exstincta, sed admodum sustentata fuit. Longe luculentius vero acidii aerei prodidit naturam, aqua calcis colorem egregie album induit, tinctura heliotropii rubra reddebat, quin vel sapore aquam aeratam percipere licuit.

Carbo, qui de drachmis illis tribus fuerat relictus, gr. 115 efficit, ut ideo et aeri, qui partim in cylindro fuerat exceptus, partim per rimas avolaverat, et sali volatili, particulisque oleosis, quae vi tro retorto adhaeserunt, drachma una cum quinque granis tribuenda sit. Hunc ipsum carbonem nigerrimum per plures calcinavi horas, quo ad unum usque granum planae abiit. Hocce vero residuum acido nitroso infusum post digestionem per plures horas maximam partem fuit solutum, ita, ut perparum in filtro remaneret, quod gelatinam combustam referre videbatur. Ex solutione nitroso, quae filtrum transferat, assuso acido vitriolico, terrae calcareae vitriolatae granum sesquialterum praeceps dedi, ipsumque precipitatum cum alcali coctum terrae calcareae purae dimidium amplius granum obtulit.

Minor igitur terrae calcareae quantitas huic nostro calculo formando inservivit; at multo plus particulis illis volatilibus, quae igne calcinatorio fuerunt abactae, tribuendum, quae cum principio gelatinoso et minima terra calcarea calculum huncce constituerunt.



## EXPERIMENTUM 2.

Plura calculi humani urinarii frusta, quae integrum, ut videbatur, antea formaverant calculum, *desillatione secca* in partes decomposui constituentes. Cortex exterior fuscus, nucleus includit lamellatum, flavidum, lamellulis ad intimum usque nucleus album pedetentim decrescentibus.

Frusta omnia, quae in pulverem trita retortulae commisi, drachmam unam grana 26 valuerunt. Adaptata iam cucurbita conveniente, primum leni caloris gradu paucae aquae guttulae transferunt; tum post horae spatium vapores albi omne expleverunt excipulum, igneque aucto, vasisque per duas horas excaudatis, densitas vaporum ad fine n fuit imminuta. Post refrigerium in excipulo olei fisci apparuerunt vestigia, latera eiusdem multae crystalli, hastas referentes considerunt; collo retortae sublimatum fuscum levissimum assedit, in ipsa retorta remansit carbo nigerrimus, nullo nec odore nec sapore insignis.

Quae in excipulo collegeram, valuerunt grana 19, odorem alkalimum volatilem vehementem cum odore empyreumatico coniunctum emiserunt. Ad oleum igitur fuscum a sale alcalino separandum, definita aquae portione cucurbitam purgavi, cui, postquam ipsa omne sal volatile solverat, oleum innatavit fuscum, quod ipsum cum caute separasse, pene gr. 6 effecit, ut ideo alcali volatili gr. 13 fuerint relicta. Solutio vero aquosa in examinibus multis naturam alcalinam praebuit, chartae tinctura heliotropii imbutae, acetoque in caeruleam mutatae, pristinum restituit color, effebuit cum acidis, chartam fernambuci solutione tinctam reddidit caeruleam. Inspissata iam paullulum reliquit massae, quam sapore

sapore modo explorare licuit, cum examen accuratum propter exiguitatem respueret. Sal medium referre videbatur, quod acido perquam subtili fuerat conflatum. Sublimatum fuscum gr. 21 ponderans partim repetitae subieci destillationi, partim aqua infudi. Rectificatione quidem perquam leni albas in excipulo collegi crystallos tenuissimas, oleum tum in collo retortae tum in excipulo deprehendi, carbo fucus quin nigrescens subsedit. Crystalli albae aqua plane fuerunt solutae, innatarunt solutioni exiguae olei guttulae, quae per aquam de excipuli lateribus absterae fuerant, carbo vero residuus tertiam sublimati, quod destillaverat, effecit partem. Aqua, qua sublimati partem infuderam, iuridum induit colorrem, alcalinam ostendit naturam et paullulum sedimenti fuscum reliquit.

Carboneum nigrum gr. 44 explentem in crucibulo per plures calcinavi horas, quo facto ad grana 10 fuit imminutus. Acidum nitrosum, quo cum residuum hocce per diem digefferam, et igne calefeceram, aliqd terrae exceperebat. Cuius solutionis nitrosae per tincturae gallarum guttas aliquas affusas, ne minimam percepi mutationem; acidum vero vitriolicum aliqd demisit in fundum, quod filtratum, edulcoratum, siccatum gypsi gr. 6 confecit, quae per coctionem cum alcali minerali terrae calcareae aeratae grana quatuor cum dimidio obtulerunt. Quae in filtro remanerunt carbonis gr. 5, iterum calcinata duo amiserunt grana; de reliquis tribus duo sere acido nitroso excipiebantur; ipsumque per acidum vitrioli ex hac solutione nitroso flocculorum alborum subtilissimum forma sese praeceps dedit. Residuum grani unius ulterius non admisit examen.

■ ■ ■ ■ ■

Per integrum igitur huius calculi decompositionem mediante destillatione secca sequentes erutae fuerunt partes constituentes: oleum empyreumaticum, alcali volatile, partes volatiles, phlogisticae, terra calcarea, et materia mucilaginosa.

### EXPERIMENTUM 3.

Ad acidum, quod ex SCHEELII et BERGMANI assertis in calculis continetur, quodque alii sui generis, alii saccharinum habeant, eliciendum calculum humanum optime crystallisatum ope acidi nitrosoi phlogisto orbare studui. Ipse calculus, quem hocce tentamine tractavi, fuit ovalis, exterior cortex albus, satiscens, quippe quasi pulvere obductus, quem manu abstergere licuit; structura interior egregia, crystallina, spiculis crystallorum radiatis optime conspicuis, nucleus exiguus, globosus.

Cuius quidem grana 40, quibus octuplam acidi nitrosoi infudram quantitatem, post digestionem per horas duodecim, igni subieciensissimo, acidumque nitrosum praeter drachmas duas circiter abstraxi. Cum iam per tres dies nihil crystallorum vasí assideret, fluidum de novo dephlogisticandum esse duxi. Aequalem iam acidi nitrosoi infudi portionem, quodque cum iterum ad tres usque drachmas destillarem, residuum seposui. Intra duodecim horarum spatium crystalli paucae, tenuissimae, spicatae, prismaticae, sapore grato, subtilater acido, sali acetosellae simili insignes ad fluidi superficiem conspiciebantur. Qui quidem a fluido caute separati in filtro delicuerunt, adeoque ulteriori examini et ipsi bilanci sese subduxerunt. Valuerunt circiter grana duo. Fluidum vero filtratum, aqua dilutum, iterum inspissavi, ipsumque cum seposuisse, brevi post exiguae comparuerunt crystalli, quae diligenter edulcoratae ut verum acidum saccharinum steterunt; aquae calcis enim ipsas cum immisisse selenites saccharatus statim fundum petiit.

Num

Num vero unicum hocce examen ad salis luius naturam accurate definiendam sufficit? Acidum saltem vere calculis inesse illudque virtute modo commemorata cum acido saccharino convenire, luculenter demonstrat.

#### EXPERIMENTVM 4.

Tentaminibus huc usque enarratis, quae cum meris calculis humanis fuerunt instituta, ultimum adiiciam, quo duos calculos e vesica canis cuiusdam statura perquam exiguae, post eiusdem mortem depromtos, diligenter explorauit. Vterque fere cylindraceus, tres referebat superficies, quarum una, qua contigui sibi fuerant, laevis, squamosa, lamellata, reliquae duae, quibus versus femur spectauerant, planiusculae, paullulum spongiosae, inaequales, margines duo acutissimi, unus obtusior. Alter drachmas quatuor cum dimidia, grana 16. pondere expleuit, alter gr. 9. leuior fuit.

Leuiores in puluerem subtilissimum redactum per *defillationem* *ficcam* decomponere studui. Apparatu vasorum instructo, pulvere immisso, rimisque clausis, ignem excitauit lenem, post horae quadrantem fluidum transiit in excipulum, ad iuncturam odor spargebatur ammonicalis, empyreumatico-animalis, qualis olei cornu cerui, pene cadauerosus. Igne iam fortiori, postea fortissimo per quinque horas, ita, ut vas retortum vitreum diutius exandesceret, sustentato, fluidum aquosum cum guttis quibusdam rubicundis migravit, donec ad finem nihil amplius transiret.

Vasis refrigeratis fluidi aquosi flavescentis, perquam ammoniacalis, quod odorem alcalinum volatilem vehementissimum sparsit,



sparsit, drachimam sesquialteram, gr. 13 excepti, cuius naturam alcalinam effervescentia cum acidis, mutatio chartae tinctura fernambuci imbutae egregie quoque probarunt. Oleum vero fuscum empyreumaticum, animale, quod aquoso supernatauit destillato, granum effecit sesquialterum. Eo in loco, ubi retorta excipulo fuit contigua, salis granum assedit dimidium, quod per calorem particulis aquosis evaporatis crystallorum formam ibi subierat. Chartae bibulæ impositum vestigia olei fisci, empyreumatici reliquit.

Carbo niger, qui in retorta remanserat, valuit drachmas duas cum dimidia et grana 34.; auolarunt per rimas grana circiter duo. Quo melius particulas fixiores in residuo latentes extricarem, volatiliores igne calcinatorio abegi. Puluis vero crucibulo immisso, calcinatione per duas horas protracta, ad duas drachmas cum dimidia et grana sex fuit imminutus, coloremque magis albantem subiit. Aqua quidem destillata, qua per plures horas coxeram, eiusdem residui pondus minime fuit imminutum; acido vero nitroso purissimo per digestionem frigidam multum soluebatur, ita ut gr. 59. pulueris nigerrimi restarent. Solutionem nitrosam primum tinctura gallarum spirituosa examinavi, qua nullam intellexi coloris mutationem; per acidi vero vitriolici affusionem magna selenitis vitriolati copia in fundum demittebatur, quae filtrata, edulcorata, siccata confecit drachmas duas cum 38 granis. Terram vero calcaream ut ab acido vitriolico seiungerem, selenitem huncce vitriolatum cum lixiuio alcali mineralis digestum, per horam dimidiam coxi, quo labore finito dimidiam circiter quantitatem gran. 76. obtinui, quae denuo calcinata terrae calcareae causticae grana 47. effecit. Calcinatione pulueris, qui in filtro residebat, repetita, quatuor modo perierunt grana, ita, ut gr. 55. pulueris albiusculi

reci-

reciperem, quem iterum acidi nitroosi depurati sufficienti infudi quantitate. Post solutionem, ope acidi vitriolici terram calcaream exceptam ex hoc menstruo dedi praecipitem, quae collecta selenitis vitriolati grana 51. constituit. Quae solutione filtrata in filtro recta fuerant, mucilaginem potius, quam veram effecerunt terram, omnique ulterius examen per exiguitatem irritum reddidere; insafsam vero illi, quae in analysibus calculorum humanorum ad finem relinquebatur, similem constituere videbantur.


Maiorem igitur per hoc examen et alcali volatilis in fluido soluti et terrae calcareae copiam in hisce calculis caninis, quam in humanis obtinuisse appareat.

Alterum calculum, quem *aëris* exinde euoluendi consilio in pulueris subtilissimi formam redegeram, drachmas quatuor cum dimidia, grana sedecim consecit. Instructo igitur apparatu pneumatico-chemico, puluere curcurbitae immisso, rimis conglutinatis, igneque admoto, cucurbita praeter opinionem fregit, ut omnis spes aërem excipiendi eluderetur. E partibus quidem constitutius, quae priori elicui examine, de *aëris* et inflammabilis et fixa siue acidi aërei praesentia, cum et oleum empyreumaticum et terra calcarea inhaeserit, argumentari licet.

Haec igitur sunt tentamina, quæ cum huius quoque generis calculis, quantum per minorem ipsorum copiam licuit, institui. Omnes partes hos calculos constituentes animalis sunt originis, ut alcali volatile, oleum animale empyreumaticum, terra calcarea, acidum, partes volatiles. Sequenti tempore alia quoque calculo-

F

rum



rum atque concretionum lapidearum genera, quae in variis locis  
tum humani tum animalis corporis deprehendere solemus, quam  
primum oblata fuerit occasio, examini submittam chemico. Prae-  
staret quidem e partibus horum corporum iam cognitis ea deriuare,  
quae exinde in genisis eorundem explicandas, atque caussas quae  
ipsorum ortui fauent, eruendas fluunt. Quae cum chemicae non  
subiecta sint ditioni, in aliud tempus, huic argumento tractando  
magis accommodatum, erunt transferenda.

THESES.

T H E S E S.

Ex consensu populorum argumentum quo Deum esse probetur, non  
potest repeti.


Lux non in oculos solum, sed in omnem corporis superficiem age-  
re videtur.

Poenae, quae per naturae ordinem malefacta sequuntur, nunquam  
beneficia diuina habenda sunt.

Praeslat forte in Homeri Iliad. E. 795. pro ἔλκος ἀναψύχοντα legere  
ἀναψύχοντα, quippe quae lectio naturae accommodatior.

---

---







PICA

VO 78






ANALYSEOS CALCULORVM  
ET HUMANORVM ET ANIMALIVM  
CHEMICAE

S P E C I M E N . I.

D I S S E R T A T I O



PHORVM ORDINIS  
ATE  
M D C C LXXXVIII.

C.  
ENT  
T. A. N T E N V S  
V. S  
NSIS,  
OR, MEDICINAE  
REVS

L. V. D O V. X C V S  
S. X G  
NSIS,  
DIC. STYDOS.

I A E  
KINDELIA.